

mnatus fuerit, eadem pœna punitur, qua puniendus fuisset, vel punitus fuit innocens, l. 1. §. 3. ff. ad L. Corn. de fals. Bald. in c. 1. vers. item quod falsa, de pace tenen. & in c. 1. §. injuria, de pac. juram. firm. & in l. data opera, num. 20. C. de his, qui accus. Clar. lib. 5. sent. §. falsum, num. 31. Perjuris quoque solent duo digiti abscindi, quibus juravit, sed si ii casu ante amissi sint, quid faciendum? Vide ante allegatum Steph. Eberh. Speckh. cent. 1. q. 87. Hart. Hartm. in obs. singul. obser. 188. per tot. in civilibus pœna perjury hæc est, ut parti læsæ, contra quam falsum dixerit testimonium, ad interesse teneatur, lobst. von Dransfeld de testibus concl. 75. Pejerans quoque sententiâ Judicis ignominiâ notatus honoribus, dignitatibus, beneficiis, prærogativis omnibus privatur. De hac materia quoque agit Virg. Pingiz. q. 39. Gobl. in auctario, & fusius de hac non placet agere, quia variè & copiosè passim tractatur à juris Interpretibus. Memini autem, pro quo Deo gratias ago, me aliquem civem M. B. T. cùm Consiliarius Episcopatus Mindensis eram, à perjurio liberasse, aliàs si non citiùs advenissem, cæteros Consiliarios civis decepisset, & hoc grande nefas erectis digitis commisisset. De consuetudine pejerandi consule omninò Georg. Eberhard. vol. 1. conf. 3. n. 106. cum seqq.

ARTICULUS CVIII.

Pœna eorum, qui cautionibus juratis (urphedas vocant) contraveniunt.

1. Non multa verba hîc faciam. Constitutio criminalis plana, & nulla explicatione indiget, & notatu digna tradunt in hunc 108. articulum, laudati Commentatores, Zieritz. & Steph.
2. Non tamen possum silentio præterire, quæ in causa criminali F. contra B. M. hac de re observavi. In puncto urphedæ non solùm considerandum, an, & quoties ea violata, sed ex qua causa urpheda præstita? Nam distinguit præsens articulus inter delictum capitale, aut non capitale; priori casu, si quis ejusmodi crimine, ob quod per leges & constitutiones publicorum Judiciorum capitis pœna affici potuerat, cautionem juratam de se non ulciscendo carceris injuriam ruperit, pœnæ capitali illi beneficio competenti subjaceat. Si verò quis non capitale delictum commisit, & contra cautionem præstitam aliquid sciens & prudens commisit, ut perjurus puniendus. Quem si nec ita quidem cautioni pariturum appareat, de eo id suscipi debet, quod paulò pòst art. 176. tradetur. At impræsentiarum B. M. incarceratum, & venientem secunda vice contra urphedam delicta capitalia perpetrasse, extra omnem dubitationis aleam positum. Furtum enim commisit, & literas diffidatorias portavit. At literas hujusmodi portans, earumq; tenorem sciens tenetur eadem pœna, qua ipsi diffidatores tenentur, per ea quæ tradunt Decian. in pract. crim. lib. 9. c. 37. n. 11. Franc. Marc. decis. 423. num. 7. Schrad. tract. de feud. p. 9. c. 2. num. 70. Prosp. Farin. in tract. de homicid. q. 130. num. 41. Unde wird das Brieftragen in solchen Fällen in dem Rechten

Rechten